UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Jacobi Sadoleti Card. Et Episcopi Carpentoractensis Viri Disertissimi, Opera quæ exstant omnia

**Sadoleto, Jacopo**

**[Francofurti], 1607**

Poemata Iacobi Sadoleti Card. De Laocoontis Statva, Qvæ Romæ in Vaticano spectatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-69244

Visual Library

POEMATA

# IACOBI SADOLETI CARD. DE LAOCOONTIS STATVA, QVÆ ROMÆ in Vaticano ſpectatur.

Ecce alto terræ è cumulo, ingentiſq; ruinæ
Viſceribus iterum reducem longinqua reduxit
Laocoonta dies: aulis regalibus olim
Qui ſtetit, atque tuos ornabat, Tite, penates.
Diuinæ ſimulacrum artis, nec docta vetuſtas
Nobilius ſpectabat opus, nunc celſa reuiſit
Exemplum tenebris rediuiuæ mœnia Romæ.
Quid primum, ſummúmue loquar? miſerúmne parentem
Et prolem geminam? an ſinuatos flexibus angues,
Terribili aſpectu caudaſq; iraſq; draconum,
Vulneraq; & veros, ſaxo moriente, dolores?
Horret ad hæc animus, mutaq; ab imagine pulſat
Pectora, non paruo pietas commixta tremori.
Prolixum bini ſpiris glomerantur in orbem
Ardentes colubri, & ſinuoſis orbibus oram
Ternaq; multiplici conſtringunt corpora nexu.
Vix oculi ſufferre valent, crudele tuendo
Exitium, caſuſq; feros: micat alter, & ipſum
Laocoonta petit, totumq; infraq; ſupraq;
Implicat, & rabido tandem ferit ilia morſu.
Connexum refugit corpus, torquentia ſeſe
Membra, latuſq; retro ſinuatum à corpore cernas.
Ille dolore acri, & laniatu impulſus acerbo,
Dat gemitum ingentem, crudoſq; euellere dentes
Connixus, læuam impatiens ad terga Chelydri
Obiicit: intendunt nerui, collectaq; ab omni
Corpore vis fruſtra ſummis conatibus inſtat,
Ferre nequit rabiem, & de vulnere murmur anhelum eſt

At ſer-

*At ſerpens lapſu crebro redeunte ſubintrat*
*Lubricus, intortoq́; ligat genua infima nodo.*
*Crus tumet, obſepto turgent vitalia pulſu,*
*Liuentesq́; atro diſtendunt ſanguine venas.*
*Nec minus in natos eadem vis effera ſæuit,*
*Implexuq́; angit rapido, miſerandaq́; membra*
*Dilacerat: iamq́; alterius depaſta cruentum*
*Pectus, ſuprema genitorem voce cientis,*
*Circumiectis orbis, validoq́; volumine fulcit.*
*Alter adhuc nullo violatus corpore morſu,*
*Dum parat adducta caudam diuellere planta,*
*Horret ad adſpectum miſeri patris, hæret in illo:*
*Et iam iam ingentes fletus, lachrymaſq́; cadentes*
*Anceps in dubio retinet timor. Ergo perenni*
*Qui tantum ſtatuiſtis opus iam laude nitentes,*
*Artifices magni (quanquam & melioribus actis*
*Quæritur æternum nomen, multoq́; licebat*
*Clarius ingenium venturæ tradere famæ)*
*Attamen ad laudem quæcunque oblata facultas,*
*Egregium hanc rapere, & ſumma ad faſtigia niti.*
*Vos rigidum lapidem viuis animare figuris*
*Eximii, & viuos ſpiranti in marmore ſenſus*
*Inſerere aſpicimus, motumq́; iramq́; doloremq́;:*
*Et panè audimus gemitus: vos extulit olim*
*Clara Rhodos, veſtræ iacuerunt artis honores*
*Tempore ab immenſo, quos rurſum in luce ſecunda*
*Roma videt, celebratq́; frequens: operiq́; vetuſti*
*Gratia parta recens. Quantò præſtantius ergo eſt*
*Ingenio, aut quouis extendere fata labore,*
*Quam faſtus, & opes, & inanem extendere luxum.*

## DE CAIO CVRTIO ET CVRTIO LACV.

*IRE per æternos æui venientis honores*
*Conſpicuum meritis & iugi viuere fama*
*Fas illum eſt, quem fata vocant, cui pectore præſens*
*Excubat, atque animum cœlo adjecit ignea virtus:*
*Cuius ſæpe ſagax trepidis prudentia rebus*
*Veſtigauit opem, docuitq́; haud ſera Senatum:*
*Siue armis ille & dextra, ſeu morte cadentem*
*Seruauit patriam, atque hoſtes in funere vicit,*

Ku

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Nec tamen eſt decorum tantorum maxima merces*
*Laude hominum, aut poſitis triuio ſpectanda trophæis,*
*Quamuis longa datum ſtruerent in ſæcula nomen:*
*Verùm illuc melior ſpes euocat, vnde recepti*
*In lucem ſumus, ac patrios reuocamur ad ortus,*
*Cùm cœlum ſuperoſq́; lares, axemq́; ſerenum*
*Suſpicimus, rapido circum qui ſidera flexu*
*Torquet, & immenſos actu ciet orbibus orbes.*
*Hunc pater omnipotens alterna luce micantem*
*Conſtituit, nec vos pulcra in ſpectacula claris*
*Ignibus & multo ſtellantem inſignit auro*
*Dignam ſedem animis præſtantibus illa Deorum:*
*Illa domus nobis patria eſt. hic nobile magnæ*
*Accipiunt pretium, regnantq́; per æthera mentes.*
*Sed fuit hoc olim, ſuperas euadere ad arces*
*Regia tecta Deûm, cœtu meruere frequenti,*
*Magnanimi heroes, priſcis quos extulit annis*
*Tunc, cum larga ducum fundebat ſemina tellus.*
*At nunc (quandoquidem hæc turpi conſumpta veterno*
*Iam pridem infelix, inhonoraq́; tabuit ætas,*
*Et cecidit decus & dominatum more ſiniſtro*
*Eiectum ingenium, virtusq́; faceſſere iuſſa eſt)*
*Nos veterum facta haud ſegnes repetamus auorum*
*Fortia, & ad priſcum curam hanc vertamus honorem*
*Qua fortuna ſinit, quantum eſt conceſſa facultas.*
*Sitq́; prior, quem non metus, & grauis ira Deorum*
*Terruit, abyſſa non monſtra immania terræ,*
*Qum facto egregio infernis ſe tradere aris.*
*Nam ſiue infenſis Capitoli, arcisq́; Lyceæ*
*Præſidibus ſuperis, clauſi ſeu turbinis æſtu*
*Mota loco tellus ſpatii diſcrimine vaſto*
*Abſtiterat, medioq́; foro patefacta vorago*
*Abrupta in præceps, immenſa, orisq́; profundi*
*Summotas reſerans fauces (trepidabile viſu)*
*Tartaream ad noctem, ac ſedes penetrârat auernas,*
*Intuleratq́; diem, cœloq́; refuderat vmbram.*
*Prodigium horrendum, ceu nigro abduntur hiatu*
*Tænara, Cumeaq́; domus latebroſa Sibyllæ*
*Extemplo exciti monſtro populusq́; patresq́;*
*Concurſu approperant magno, & de collibus altis*
*Denſi adſpectantes, Stygii vt portenta ſepulcri,*
*Atq́; atram videre luem, rimoſaq́; circum*
*Aequora, & immani iam iam vi rupta barathro,*
*Perculſis ſtupuêre animis, tum frigidus artus*

Concuſ

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Concuſſit tremor, & ſubitò per membra cucurrit:*
*Nec iam ſtare gradus, aut tumulis ſublimibus audent.*
*Sub pedibus latè ſcindi, inſidumq́; labare*
*Omne ſolum, colleſq́; ipſi ſubſidere in ima*
*Tartara, & obſcura mergi ſub nocte videntur,*
*Iamq́; metu trepidos, ſubitaq́; redire volentes*
*Inde fuga fallit conatus, ægra receptum*
*Genua negant: gelido concretis ſanguine fibris*
*Nec vires membris notæ, nec vox ſonat ore.*
*Ac veluti ſi quando truci ſub imagine ſomni*
*Decliui è ſcopulo ripaue horremus ab atra*
*Præcipitem caſum: refugit calor oſſibus omnis*
*Et voces & membra cadunt: non anxia vocem*
*Verba ſonant: preſſos ſopor, & timor alligat artus:*
*Haud ſecus Æneadæ gelida formidine tardos*
*Implicuere gradus, nec vis ſua tollit euntes,*
*Spectanteſq́; fugam, prorſuſq́; extrema trementes.*
*Tandem vbi gliſcenti grauis eſt mora viſa pericło*
*Incubuitq́; malum violentius, & metus alter*
*Excuſſit ſtupidos, ac mentis reddidit vſum:*
*Quærere opem rebus ſummis & vitier omni*
*Auxilio, raptimq́; cauas explere latebras*
*Aggere protecto, & congeſtis molibus inſtant.*
*Incaſſum labor omnis, & irreparabile damnum*
*Humanam contemnit opem ſpes vna ſuperſtes.*
*Si quis apud diuos venia locus, ergo per omnes*
*Ire aras pueri & matres, timidæq́; puellæ*
*Supplicibus votis certatim expoſcere pacem*
*Numina ſancta Deum, cœloq́; extendere palmas*
*Nec minus interea Tyrrhenæ gentis aruſpex*
*Fata aperit, ſic diuinis monſtrantibus exta*
*Ore canens. O Dardanii ſpes inclita Iuli*
*Mars pater, aſtrifero genus & cui nobile cœlo,*
*Et virtute fidem, & præſtantibus aſtruit armis,*
*Non hæc cœlicolum graue, & implacabile numen*
*Nunc portenta mouet, ſed hianti luridus orco*
*Eumenidum dolor & rupta diſcordia terra*
*Inſigni redimenda bono, quo maximus vſus*
*Imperii ad columen, famaq́; ſequentis honorem.*
*Hanc fati obſcuram vocem, monituſq́; Deorum*
*Concilio exceptos, non vnis mentibus omnes*
*Accipere: ambigui ſenſus, diuerſaq́; patrum*
*Murmura: nec cunctis eadem eſt ſententia linguis.*
*Acer erat bello, & primis ſpectatus in armis*

Curtiu

*Curtius eductum Curibus quem antiqua vetuſtis*
*Nobilitas laude, & ſerie decorabat auorum.*
*Namque ferunt, Vrbis iaceret cum prima ſuperba*
*Fundamenta, pater, captaq́; ex arce Sabini,*
*Fœminei vltores raptus, iam valle ſubirent,*
*Conferrentq́; aciem, atq; anceps fortuna duelli*
*Ambigeret: facinus clarum longeq́; fuiſſe*
*Egregiam laudem, & nomen memorabile Curti.*
*Ipſe diem, poſtquam ad pacem verſa arma ducesq́;*
*Imperii iunxere fidem, dextrasq́; dedére*
*In partem merito patria & præclara vocatus*
*Præmia, nec ſtudio deinceps, nec defuit vſu*
*Romulidis, longamq́; dedit deſcendere prolem.*
*Tali ortus genere, & proauiti nominis heres*
*Curtius ardenti ſæpe in certamine victor*
*Quæſieratq́; manu decus, & virtute tenebat*
*Exuperans animi iuuenis: ſiue arduus alto*
*In pugnam ſe ferret equo, ſeu Marte pedeſtri*
*Aduerſum exciperet collatis ictibus hoſtem*
*Huic pater ætheriam ſuperi conuerſor Olympi*
*Immittit ſubitò mentem, reſeratq́; latentes*
*Fatorum ambages, ipſumq́; in funera poſci*
*Submonet, & dubia qua ſit via recta ſalutis.*
*Ille ardet, largosq́; alti bibit ætheris ignes*
*Diuinum ſpirans: nec iam mortalia cordi*
*In patriam quippe & pietas & funeris atri*
*Exequiæ laudum æternæ, multusq́; ſuorum*
*Viget amor: tandem velut acri concitus œſtro,*
*Irrumpit medios teſtatus numina diuum.*
*Nec mora, pro patria infernis ſe deſtinat aris.*
*Arrecta mentes cunctorum, omnisq́; receſſit*
*Pectoribus timor, & cæcis lux reddita rebus*
*Magnanimi iuuenis fato inferiisq́; propinquis.*
*Curritur, effuſiq́; ſenes, & vulgus inundant,*
*Agglomerantq́; foro: & ſi qua deſpectus in vnum eſt*
*Ædesq́;, tumulosq́; & culmina Pallantea*
*Tarpeiamq́; arcem, & diuum faſtigia latè*
*Conuentu cumulant pleno, addenſantq́; coronas.*
*Iamq́; aderat longa ſenior cum veſte ſacerdos*
*Funereus mœrens vultu: ſacrumq́; litabat*
*Plutoni Stygio: aſt alii nigrosq́; iuuencos,*
*Et furuas iugulant pecudes: ipſe ordine vota*
*Nuncupat & iuuenem ſpargit fluuialibus vndis,*
*Voce ciens triplicemq́; Hecaten, magnamq́; parentem,*

Ter

*Tergeminosq́; Deos: tum numina dira precatur*
*Eumenidum, populoq́; grauem depellit Erynnim*
*Stant taciti circum, linguisq́; ſilentibus vnum,*
*Vnum omnes ſixi obtutu, immotiq́; tuentur*
*Armatum extantem, atque ærata luce coruſcum.*
*Ille autem (nam fata premunt, longasq́; recuſant*
*Ferre moras) coram vacuum progreſſus in æquor,*
*Vt ſtetit abrupta titubato in margine ripæ*
*Pallidus, inq́; atram deiecit lumina noctem:*
*Rettulit os rurſum cælo, ſublataq́; tendens*
*Brachia, in has ſupplex exſoluit pectora voces:*
*Dii patrii, quorum auſpiciis ſtat maxima Roma*
*Et pater omnipotens, & noſtri ſanguinis auctor*
*Bellator Mauors, Vulcane paterq́; Quirine*
*Veſtaléſue fori, Ianiq́; biuerticis oras;*
*Audite hæc, fauſtumq́; precanti aduertite numen.*
*Si qua, nefas, virtutem odit crudelis Erynnis*
*Ad pœnamq́; vocat: fraus hic communis abeſto.*
*Vnus ego haud ſegnis dextra, nec frigidus armis*
*Hanc animam, inferno vmbrarum Regi, & Stygiis Diis*
*Deuoueo, lucemq́; volens, aurasq́; relinquo:*
*Tantum dura mei fugiant diſcrimina ciues.*
*Hanc ſpem, quam patriæ incolumis dant fata ſepulcri*
*Et mortis comitem poſco, ac mecum ire ſub vmbras.*
*Tum vos inſenſi Manes, queis Romula virtus*
*Diſplicet, inuidiamq́; mouent ingentia facta:*
*In me omnes conferte iras, & quicquid acerbum eſt,*
*Vertite ab excidio patriæ, exitioq́; meorum:*
*Ipſe luam. ſimul hæc dixit ſimul abſtetit olli*
*Conſpicuusq́; auro, & Maſſuli pelle leonis*
*Arce fremens bellator equus, quo tendere in hoſtem*
*Primus & obſtantis incurſu rumpere turmas*
*Suetus erat, ſubitaq́; acies turbare procella.*
*Hunc vbi terga premens dorſoq́; exceptus amico*
*Impulit, & notis habilem tremefecit habenis*
*Nil mortale putans animiq́; interritus heros:*
*Viſa hominis maior facies, procul ære refulget*
*Sanguineo galea & flammis rutila arma coruſcant.*
*Interea cælo ſuperûm Rex magnus ab alto*
*Vrbem Dardaniam aſpectans, ſæuaq́; ſuperbum*
*Contemptorem animum mortis, dabat inclyta facti*
*Præmia, ſecum animo voluens, curamq́; fouebat:*
*Cùm lacrymas promptumq́; ferens mæſto ore dolorem*
*Triſtis ſic medio cæli ſuper axe Quirinus*

*Alloquitur: O cuncta pater, qui fata gubernas,*
*Æternumq́; regis: in quo ſpectata tuorum*
*Incidit, aut quali damnatur ſanere virtus.*
*Non hæc exactis olim ſperauimus annis,*
*Cum ſedem hanc terræ regno, externisq́; triumphis,*
*Romanumq́; tuo ſancibas fœdere nomen:*
*Atq; antè hoſtili virtutem opponere ferro*
*Vnum opus, & labor vnus erat, pretiumq́; laboris*
*Imperium patriæ, aut lethi ſors clara ferebat.*
*Nunc iam quid ſupereſt, aut quam fortuna ſinit ſpem,*
*Si manes rigidos etiam, & fera tartara contra*
*Bellandum eſt? num dicta retrò mutata recurrunt*
*Fata tibi? aut cœpti piget, & ſententia verſa eſt?*
*Et nunc iſte quidem iuuenis capite improba rerum*
*Detrimenta luit, vnusq́; immittitur Orco*
*Inſtius vllius culpæ ſic digna rependis*
*Præmia, virtuti genitor hæc gratia prompta eſt?*
*Si quod conceptum eſt, in te facinusue, ſcelúsue*
*Æneadis generiq́; meo, te verius ipſum*
*Tela dare & ſeptem repetitis ictibus arces*
*Fulmine deiicere, ac ſedes abolere nepotum*
*Sin autem & caſtæ ſunt res nec iuſtius vlla*
*Religione, pater coleris, ſub numine ſemper*
*Roma tuo, purosq́; tibi meditatur honores:*
*Parce tuis, pacemq́; refer: ſic Romulus orſus*
*Tum pater æthereo pellit qui nubila vultu,*
*Talibus it contra; Nec te dolor iſte timentem*
*Sollicitet, mea progenies, neue aſpera tingas*
*Fata tibi, & cœptos animi dimitte labores.*
*Vrbi Romuleæ late debetur ab ortu*
*Quicquid ad occaſum rerum iacet, & vaga quicquid*
*Tethys obit, refluoq́; adlatrant æquora ponto,*
*Stat fixum hoc nec fluxa retrò ſententia nutat*
*Quin iam aderit, cum tu Romana in ſceptra videbis*
*Heſperiamq́; omnem & gentes tranſire remotas,*
*Imperiumq́; genusq́; tuum, ne triſte querare*
*Supplicium egregii iuuenis. non ille ſub vmbras*
*Tartareas Maneſue cadens deſcendit ad imos.*
*Hunc animum, has mentes, hæc corda excelſa tuorum*
*Eſſe velis, fretosq́; ſua virtute Quirites*
*Et conferre manum Fortunæ, & temnere mortem*
*Sic etenim via ſideras quæ ducit ad arces*
*Et famæ meritum ſteterit decus. his vbi mœſtum*
*Leniit omnipotens dictis gemitumq́; repreſſit,*

*Continuo tacitus ſecum maiora volutat.*
*Stant Iouis ad ſolium geminæ ſuper aſtra ſorores*
*Mente ſatæ æterna, queis cœtu eſt cura Deorum*
*Adlegiſſe pios, humanaq; nectere diuis.*
*Harum vnam pietatem alto deſcendere ab axe*
*Imperat & Curti manes adſiſtere ſacros.*
*Illa Ioui parens, nimbo fulgente per auras*
*Cuncta volat, longamq; citò dat tramite lucem:*
*Qualis ſæpe polo ſaliens ſub nocte ſerena*
*Stella fugit curſus ſubitò traiecta volucres*
*Et iam Tarpeii ſupra faſtigia templi*
*Aſtitit, inq; arce extrema delapſa reſedit:*
*Cum iuueni viſa eſt mentem maioris imago*
*Aſcendiſſe Deæ. iuuat ire in funus, & omnes*
*Præcipitare moras: ſonipes ſub pondere*
*Ardet inexpletum exſultans, iamq; ardua iactat*
*Brachia, iam pede tundit humum, hinnituq; cauus*
*Suſcitat, & viuos ſcintillat naribus ignes.*
*Eſt locus extructo ſuggeſtu & molibus extans,*
*Parte fori aduerſa celeber, quem nomine nunc*
*Roſtra vocant: primi vnde duces plebiſq; magiſtri*
*Affari populum atq; edicere ſcita ſolebant.*
*Hinc iuuenis freno & ferratis calcibus acrem*
*Egit equum lora effundens: hinc feruidus illum*
*Impulit; attoniti primo motu fremituq;*
*Diriguere omnes, mens & calor oſſibus hæſit.*
*Ille rapit medium campi curſuq; citatum*
*Quadrupedem vaſtæ immittens in aperta ruinæ,*
*Dat ſe in prærupta, atq; ingenti rupe ſecuta*
*Inuoluensq; ruensq; ſpecu deſcendit ab alto.*
*Ac velut aerio præceps cum monte reuulſum*
*Saxum ingens in prona ruit, molesq; ſubactas*
*Voluit & aſſultu rapido latera obuia rumpit:*
*Dant gemitum lateq; fragor geminatur in auras:*
*Sic tellus, ſic præcipiti pulſata ruina*
*Contremuere fora, & longas referentia voces*
*Templa ſonant. ſtetit obtutu ſtupefactus, & amens*
*Intento populus circum, immotusq; pependit.*
*Magnus eques vſq; attonitis, horrorq; feroxq;*
*Procurſus, cladesq; viri ſuprema moratur*
*Ante oculos: etiam arma tonant, etiam auribus ingens*
*Inſultat fragor, & torpentia pectora pulſat:*
*Currentemq; diu trepidant horrentq; cadentem*
*Vt primum ſonitum, atq; vmbras diſcuſſit inanes*

Red

*Reddita mens, cœloq; dies oblata ſereno eſt:*
*Emota extemplo cura, cunctiq; reuerſi*
*Ereptum ad iuuenem ſenſus. Viridis ſubit ætas*
*Digna Deûm potius venia, fatisq; ſecundis,*
*Et decor, & mores placidi: tum clara recurſant*
*Facta animis, tantaq; recens pietatis imago,*
*Verbaq; ſupremaq; preces: quo funere certus*
*Occiderit, patriasq; cadens ſeruauerit arces*
*Vltro morte obita, & pallentes miſſus in oras.*
*Cùm tamen hunc miſerum ſpes deſolata parentum,*
*Coniugis & caræ fletus, natiq; vocarent:*
*Dilecti ad curam laris antiquosq; penates,*
*Tantum illum patriæ & generi tribuiſſe ſuorum,*
*Vt ſeſe exitio & fatis communibus vnus*
*Traderet. hæc inter linquentia pectora dulcis*
*Stringere amor, lacrymaq; ſequi & crebreſcere voces*
*Laudantum, ac ſortem miſerantum mortis acerbam.*
*At iam confuſum diuerſo ex agmine murmur*
*Attollit magis atq; magis: iam ſparſa ſolutis*
*Turbarunt cuneis: fremitu tonat arduus æther.*
*Ceu quondam in ſiluis leui cum flamine primum*
*Offenſæ crepitant frondes, & lenta ſuſurrant*
*Murmura: mox valido ſi turbine fortior auſter*
*Incubuit, ſtragemq; dedit, ſtrepit omne tumultu*
*Confuſum nemus, & populata cacumina iactat,*
*Conſternitq; ſolum ramis: it ſtridor ad auras*
*Iamq; patres primiq; ducum, lectiq; ſenatus*
*Fatum augurio proceres, quiq; alta gerebant*
*Imperia, aut ſacros ornabant vellere canos*
*Inceſſu tacito coeuntis ad oſtia terræ*
*Adueniunt, cinguntq; lacum: tum cætera circum*
*Turba premit, cœtusq; implet ſtipata profundos*
*Et nunc hac, rurſum hac impulſum fluctuat agmen.*
*Dant fruges tumulo lætas, & munera prima*
*Apponunt, pars incenſis altaria flammis*
*Conſtituunt, peraguntq; preces & ritè ſacratos*
*Deſcribunt fines lituo, frontemq;, latusq;,*
*Vltimaq; & meritos gnati teſtantur honores,*
*Certatim effuſi in laudes: hinc nota frequentant*
*Militiæ decora, & murales ſæpe coronas,*
*Defenſumq; manu ciuem, ſociosq; receptos,*
*Indomitumq; animi Volſcum vel comminus enſe,*
*Eminus aut iaculo atque iratum vindice dextra*
*Proſtratum, ſpolia inde cauis aſtantia tectis:*

*Vt non conſilio inferior quàm fortibus armis*
*Sæpe locum inſidiis deprenderit, ad iuga, ſæpe*
*Inclinatam aciem turbataq́; ſigna ſuorum*
*Acrius intulerit pugnæ, turmasq́; morantes*
*Viuncta virtutis equoq́; obnixus ab alto*
*Impulerit: tu nos hoſtili cæde tepentes*
*Sternere agros, nos magnanimum præferre trophæa*
*Martia dona ducum, laudis metamq́; modumq́;*
*Eſſe tua decorúmne ſinis: tu ſæua refutas*
*Portenta, & Stygium præclara morte furorem*
*Te diri ſtupuere amnes: te ſancta cadentem*
*Concilium ad ſuperûm, cernentis & omnia cæli*
*Extulit & pietas, & vita prodiga virtus.*
*Salua certa ſalus patriæ: tibi præmia mille*
*Sidereis collata locis: nec plura mereri*
*Fas homini eſt, aut ſi fato quis maior eodem*
*In terram Deus ille alto demiſſus Olympo.*
*Et tamen humanæ quantum tibi reddere laudes,*
*Quantum animi linguaq́; valent, non gratia deerit*
*Non amor officiòue decus: celebrabere grati*
*Voce aui, generisq́; tui ſeruator & vrbis.*
*Nec minus interea locus hic quem funere magno*
*Impleſti moriens facti immortalis honore*
*Perpetuum ſanctumq́; tuum & memorabile nomen*
*Proferet, æternaq́; aram virtutis habebit.*

## AD OCTAVIVM ET FEDERICVM FREGOSOS, GENVENSES.

*Dii, vobis grates refero & pro numine veſtro*
*Supplicibus veneror palmis cæleſtia templa,*
*Quod me ad fallaces fortunæ mobilis auras*
*Vela expandentem dudum, & maleſida legentem*
*Cum populo vada naufragis repetiſtis ab vndis*
*Seruatum in portus & ſæuo ex æquore raptum.*
*Scilicet haud tanti eſt dites, vel carpere ramos*
*Extremorum Arabum, flauisq́; inſiſtere arenis,*
*Hermus vbi, aut multò quà circum turbidus auro*
*It Tagus, vt tantos æſtus durosq́; labores*
*Et motus varios animantum in pectora diræ*
*Exacuant curæ, penitusq́; Cupidine cæco*

Inte-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Inconſulta abeat ſaclis fugientibus ætas:*
*Et dirum inuergat capiti nox atra ſoporem:*
*Hæc eſt en potior quantò & magè tuta periclis*
*Vita coli? modico & contentum viuere paucis:*
*Hæc eſt & Diis & votis comitata ſecundis.*
*Si non regificos incendit purpura cultus*
*Bis ſaturata oſtro, Tyriis bis merſa venenis,*
*Nec matutino regalia limina circum*
*Concurſu innumeros ingens capit aula clientes,*
*Ampla nec Inachiis inſurgunt tecta columnis*
*Nec domus eſt luxu thalamiſq́; ornata ſuperbis*
*At tutam dulce eſt crebrò oblectare quietem*
*Seceſſu placido, & viridantis gramine ripæ.*
*At neſcire dolos, & nullos noſſe tumultus,*
*Armaq́; nec tepido ſpumantes ſanguine campos.*
*Abſunt hic fraudes periuræ, arteſq́; nocendi,*
*Inſidiæ, & ſimulati actus. & liuida curæ:*
*Conſciaq́; haud molles excludunt pectora ſomnos.*
*Atque equidem ſic euentus felicia ducant*
*Numina fortunentq́; meos, primum ardua nitar*
*Aſtra ſequi, & cauſas rerum explorare latentes:*
*Quis ſuperûm rapidis diſcreuerit orbibus axem*
*Ingens ingentem & paſſim conſperſerit auro:*
*Atq́; idem immenſos quo concitat agmine motus,*
*Vnde per obliquum contra eluctantia tendant,*
*Et ſeptem imparibus diſcurrant ſidera ſignis:*
*Qui terris ſtatus, & reſtuus qua exuberet humor,*
*Quæ ventis ratio ac nebulis, nec adire pigebit*
*Ortuſq́; rerumq́; obitus, vitaſq́; animantum.*
*Quin iam nunc amor eſt iucundis paſcere curis*
*Spem tantam, & cœptis inſtare. Eia omnis abeſto*
*Cauſſa moræ vocat en flagrantis regia cœli*
*Diuinusq́; aures complet ſonor. O vbi celſis*
*Sideribus qui me, & læto deducat olympo*
*Singula mirantem circum ſpectacula, quiq́;*
*Suadeat infectas terrai exſcindere peſtes,*
*Et purum ætheriæ mentis tutarier ignem?*
*Felix ille operum longè, egregiuſq́; laboris*
*Et decoris, qui non ignauo pondere preſſus*
*Corporis euicit molem, culpaſq́; morantes*
*Reppulit, atq́; illum diuum indulgentia maior*
*Excepitq́; polo, & nitidis ſuperintulit aſtris.*
*Hanc vitam veteres olim tenuiſſe parentes*
*Crediderim, ſtudiiſq́; agitaſſe in talibus æuum:*

*Cùm primum terris hominum præclara propago*
*Extulit os, poſuitq́; pedem poſt Lemnia furta,*
*Vulnificosq́; ignes, factumq́; inſigne Promethei*
*Ille quidem vt noſtros glebaq́; & flumine vultus*
*Finxerat effigiem ad diuum, Tritonia Pallas*
*Affuit & generoſæ artis mirata laborem*
*Iuuit Apollineis ſimulachra accendere flammis.*
*Quæ ſimul ac contactu ignes hauſere ſupernos,*
*Flagrantemq́; animam, ſubito (mirabile dictu)*
*Contremere & trepidare nouo ſpirantia motu.*
*Atq; oculis primum vigor extitit: inde per omnes*
*Paulatim rigidi deſcendere corporis artus,*
*Oſſaq́; corripere, & membris inferre teporem:*
*Hinc homines mundo immiſſi, quos ſtirpe recenti*
*Progenitos, ſimilesq́; Deum volucresq́; feraq́;*
*Ipſi amnes, ipſa obſtupuerunt æquora ponti*
*Ceu reges venerata ſuos: tum Dædala tellus*
*Nullis verſa iugis nec duro exercita ferro*
*Sponte ſua in Cererem campis ſe effudit apertis*
*Dulces ſuffectura cibos. Verum ocyus illi*
*Vt libo facili, aut pendentibus arbore baccis*
*Naturam explerant, & puri fluminis vnda,*
*Vertebant orbes oculorum ad ſidera, & alto*
*Mentem affectabant cœlo propè littora rubra*
*Tethyos, aut fuſo qua Nilus adæſtuat amne,*
*Et patria memores recolebant nomina gentis,*
*Aſtrorum inceſſus varios, Solemq́; potentem*
*Conſtantesq́; vias. ſolennesq́; ordine motus,*
*Ipſumq́; æthereum regem omnipotentis Olympi.*
*Huc me & iam ſtimulis nimio præſtantibus actum*
*Parnaſſi aduerſis ſub rupibus, auia quanquam*
*Sit via, & erectis hinc atq; hinc ardua ſaxis:*
*Tum pondus graue me valles detractet ad imas,*
*Primaq́; pene ipſo titubet fiducia greſſu,*
*Huc tamen ignea vis animi rapit, & cupidum ingens*
*Vrget amor, aderit Cyrrha Latous ab alta,*
*Collectosq́; æſtus lymphaq́; vmbraq́; leuabit.*
*Sin hæc non molles mi abdicunt ſtamina Parcæ,*
*Neq; labor primo ſubigit deſiſtere cliuo*
*Aſt ego te haud vlla cunctantem fraude locorum*
*Adſpiciam, Federice, alacrem, peruadere, & omnes*
*Exuperare moras, arcemq́; potiſſer altam:*
*Cui noua me virtus ſæcliſq́; incognita priſcis*
*Dulcis amicitiæ ſociatum fœdere ſancto*
Alli

Addidit ò cordis merito pars maxima noſtri,
O gentis Freguſæ decus, & ſpes digna tuorum,
Aſpice quæ coeant tibi numina: Cynthius auctor,
Pieridumq; chori, Dryades, Nymphæq; ſorores
Dona ferunt, violiſq; & purpureis hiacynthis
Spirat humus: ſed enim ante omnes Iouis inclyta virgo
Attonſa foliis inuertit tempora oliuæ,
Dilectumq; ſacra permutat ab Ægide pectus.
Porro ego inſpiciens inſignem lætus amicum
Gratabor, feſtoſq; dies hoc nomine ducam.
Ipſe legam Paphias vicino à littore myrtos
Aut capiti decus, aut vmbram: virideſq; Naxaas
Non illaudato reuocabo ad carmina cantu.
Fortunatæ animi, largo cui prodigus æther
Munere diuitias menti indidit, & bona magnis
Intellecta dies populo ignorata nocenti.
Fortunate animi (neq; enim eſt obſcura premitq;
Fama fidem) non te ventoſi gloria vulgi
Abſtulit, in præcepſq; dedit: non terrea ſomnos
Rupit auaritia atq; auri cuſtodia pallens.
Accumulant alii quæſtus, precioq; ſuperbos
Inuadunt faſces, aliena ad littora tendunt
Mille ſub inſanis freta peruoluentibus Euris.
Hic bellum & ſubitas accendit in arma cohortes,
Non dextræ memor, & iurati numinis olim.
Plauſum alius plebiſq; auras meditatur inanes.
Hic varios ſumit vultus, dominoq; potenti
Blanditur, grauis hos cura, & crudelis adurit
Ambitus: inuidia ſtimulis torquentur amaris,
Et tacito optatas inhiant in pectore mortes.
Interea non fas ſolenne, ſuuſq; pudori
Dignus honos: gaudent ſuperante libidine ferri,
Et neſcire modum, fineſq; habuiſſe refixos.
Qualis ſæpe noua nimium dulcedine captus
Inuectus curru biiugo, vt dimiſit habenas
Auriga, atq; ardens nota bis voce vocauit
Atq; acres animauit equos, illi agmine raptim
Proſiliunt, ſpatiiſq; ingentibus æquora aperta
Per vacuum nunc ſublimes nunc pectore proni
Corripiunt, certantq; fuga poſt linquere ventos.
Acrius hos ſtimulis agitator feruidus inſtat
Infrenemq; adigit currum: non ille pericli
Fortunæq; memor, nec iam ſudoris anheli:
Donec fraude ſoli ſcopuloq; offenſus iniqua

Præcipites proturbat equos: cadit alter & alter
Continuo conſors, lapſu correptus eodem:
Corpora humi fœda impellunt: ruit arius axis,
Et currus ſuper, atq; rotæ vertere gementes:
Fit ſonitus, creſcit ſublatus in æthera clamor,
Ipſe volutus agro cupidæ temerarius artis
Non plauſus iam, nec laudes voceſque fauentem,
Sed paſſim effuſos riſus inimicaque ſentit
Sibila: quam vellet prenſis nunc parcere habenis,
Adductoſque manu melius frænare iugales?
Non ſic qui caſus rerum & Rhamnuſia ſecum
Fata agitat, metuitque cauens aduerſa ſecundis,
Nam quem non ſtrepitus vani, fortunaq; blanda
Fluctiuagas ſolido traxerunt littore in vndas?
Dii terris geniti, ac magno pietatis honore
Euecti ad ſuperos, tuque ò ſanctiſſima virgo
Sæpe humiles noſtrum ſolita exaudire vocatus,
Hunc iuuenem ſeruate pii: ſunt omnia in illo
Si prorſum egregia ingratis male cognita ſæclis:
Et date inoffenſos annorum extendere curſus
Fratrem etiam: neq; enim Octaui nos maxima fratris
Eſſe ſalus cura debet, mortalia quando
Ille animo factiſq; ſupra: quis nobile & altum
Virtutis decus, atque viri præſtantia corda
Neſciat? ac dignos laudum non reddat honores?
Vtque fidem ſæuis ſtabilem inuictamque periclis
(Teſtes Vmbra arces, flumenque inſigne Metaurum)
Præbuerit? tanta eſt nullius gloria facti.
Cum ferus Auſoniæ prædo, cum raptor Iberus
Ferrum ignemq; ferens euerteret oppida muris,
Regnaq; concuteret bello, ſtrageſq; cieret
Infandas: primum imparibus ſe obiecit in armis
Octaui dolor, abſenti tutatus amico
Spem rerum extremam, & montis iuga celſa Feretri
Nec metus hoſtileſq; minæ, morbiq; fameſq;
Viſque infida intus mentem domuere, nec ipſa
Fœdatura oculos crudeli funere mater,
Mater quæ miſera è vallo captiua tyranni
Tendebat nato palmas: ſtetit aſpera contra
Omnia & ipſa ſuo tenuit ſe robore virtus.
Quid narrem ſolio (indignum) vt turbatus auito
Aduerſos placide caſus gerat? illa virorum
Genua ferax, pelagiq; potens ingaunia tellus
Magnus & aëria qui proſpicit æde Monæcus

Nunquam

*Nunquam animum talem claras ſub luminis auras*
*Effudere. ſibi hic non ſe, ſed ciuibus ortum*
*Eſſe ſuis putat, & patriæ præſtare ſalutem*
*Ante ſuam mauult: nec regni inſignia tantum,*
*Quantum iuſtitiam ac veras ſibi poſcere laudes,*
*Macte ambo virtute noua, concordia fratres*
*Pectora, qui dulcem inter vos ſpiratis amorem.*
*Sicut Amycleos vulgata eſt fama gemellos*
*Conſociaſſe animas: quorum cum Caſtor adempta*
*Luce grauem traheret ſtygiis ſub vallibus vmbram*
*Regna inamœna habitans inferniq; atria Ditis,*
*Fratrem animi totas ſeptem per deuia lunas*
*Erraſſe in ſolis ſiluis: non luminis ille*
*Phœbei aſpexit radios, non ſueta relegit*
*Arma manu: ſqualent deſertis caſtibus arua,*
*Nec catus pugilum curſusq; agitantur equorum.*
*Tantum homines, lucemq; auerſus, & immemor auræ*
*Fletu indulgebat, & tu cariſſime frater,*
*Te ſurgente die, te ſera nocte vocabat.*
*At quoties illum ſecreta in valle cientem*
*Ex alto gemitus, quoties ſuſpiria ruptis*
*Turbantem lacrymis tacito cum flumine lapſus*
*Audiit Eurotas? queſtu nocturna relugent*
*Taygeta, & late vicinia mœſta Terapnes.*
*Quin (vrebat enim penitus præcordia mæror)*
*Ante Iouem tales fertur fudiſſe querelas.*
*Hunc ne mihi pater, hunc vitæ immortalis honorem*
*Ingratum tribuiſti, vt fratris acerba viderem*
*Funera nec tantos finirem morte dolores?*
*Et nunc quid iam optem iucundum aut dulce ſine illo?*
*Solus ego tendam terras vbi vulnera præſens*
*Hauriam, & aſſiduus tractem? poſt ſedibus addar*
*Cælicolum, ille abſit ſtygiis diuerſus in oris*
*Vnanimis? quid me ante tuo de ſanguine cretum*
*Profuit? aut quæ digna mali ſolatia tanti*
*Das nato pater omnipotens? heu iungere curas,*
*Nec capere affatus alternáue verba licebit*
*Amplius? iſſem imas fratri comes ipſe ſub vmbras.*
*Non me tantus edat victum dolor: aurea iuro*
*Sidera non vllam valeo ſperare quietem,*
*Quod te per genua atq; tuum venerabile numen*
*Per ſi qua eſt lacrymis mens non aliena precantum*
*Obteſtor, nati genitor miſerere, mihiq;*
*Aut fratrem redde aut (hanc ſi via nulla ſinit ſpem)*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*Ne permitte ſolo: paribus da occumbere fatis.*
*Dixit & in gemitum ac fletus prorumpit amaros,*
*Multa querens, crebroq; appellans nomine fratrem*
*Qua motus pietate & magno victus amore*
*Iuppiter à tenebris fratrem reuocauit Auerni:*
*Sideraq; amborum cœleſtibus addidit oris.*
*Quæ non tantum æther, ſed pontus & alta ſonantis*
*Æquora Neptuni norunt: quin ſæpe videntur*
*Opportuna polo, vi tempeſtatis & atro*
*Turbine deprenſis præſentia lumina nautis.*

*FINIS.*

IACO-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN